

in Cella, ac discretis et strenuis viris dominis Heinrico de Osmaricz capellano, Johanne Mekol et Nicolao Kundigen notariis, familiaribus nostris, Johanne de Malticz residente in Windeschin Bor, Hartmanno Buler et Heinrico Speler de Welnicz secretariis nostris pluribusque aliis fide dignis.

Et nos Heinricus praepositus, Nicolaus decanus, totumque capitulum — nostrum adhibuimus et adhibemus consensum harum, quibus maius sigillum capituli nostri appensum est, testimonio litterarum.

Jo. Mekol corr.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 615. 1372. 15. Juni.

*B. Conrad bevollmächtigt den B. Dietrich von Brandenburg zu Herbeischaffung der auf seinen Antheil an den dem päbstl. Nuntius zu zahlenden Tagegeldern (No. 611) entfallenden 210 Goldgülden die gesammte Kloster- und Weltgeistlichkeit seiner Diöces heranzuziehen und dabei nöthigenfalls geschärfte Maasregeln anzuwenden.*

Reverendo in Christo patri ac domino domino Theoderico episcopo Brandenburgensi aut eius . . . officiali Conradus dei et apostolicae sedis gratia episcopus Missnensis ecclesiae, executor ad infrascripta a reverendo in Christo patre domino Johanne miseratione divina patriarcha Alexandrino apostolicae sedis nuntio seu legato deputatus, salutem in domino et nostris imo verius apostolicis reverenter obedire mandatis. Cum ad requisitionem eiusdem domini patriarchae apostolicae sedis nuntii nos et clerum nostrum pro nonnullis diebus, quibus pro expediendis negotiis a sede apostolica sibi commissis ex iniuncta sibi legatione in nostra diocesi stando moram traxit, septingentos florenos auri boni et iusti ponderis sibi solvere in brevi temporis spatio compelleremur, memoratus dominus patriarcha considerans, quod in solutione tantae summae plus debito gravaremur, et attendens quod onus in partes divisum facilius supportaretur, inter alios duos episcopos contributores nostros vos reverendum patrem dominum episcopum Brandenburgensem supradictum et clerum vestrum ad contribuendum nobiscum et clero nostro in ducentis et decem florenis auri boni et iusti ponderis coadiunxit, potestate recipiendi levandi quitandi per censuram ecclesiasticam rebelles compellendi sententias suas aggravandi et ab eisdem absolvendi nobis tradita et concessa. Auctoritate igitur qua fungimur in hac parte vobis domino episcopo supradicto aut vestro officiali committimus liberamque vobis tenore praesentium concedimus facultatem, quatenus a clero et religiosi ac ecclesiasticis personis exemptis et non exemptis vestrarum civitatis et diocesis praeexpressam ducentorum et decem florenorum summam exigere et levare ac per censuram ecclesiasticam si rebelles fuerint compellere, eosque a sententiis contra eos promulgatis, si quas occasione non solutionis seu contributionis incurrerint aut incurrere contingeret quovismodo, satisfactione prima absolvere auctoritate praedicta valeatis. In cuius rei testimonium praesentes litteras nostri appensione sigilli fecimus communiri. Datum et actum in castro nostro episcopali Stolpin anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo die quinta decima mensis Junii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Brandenburg mit dem an einem Pergamentstreifen hängenden kleineren Siegel des Bischofs.